

Bibliothèque numérique

medic@

**Dubois, E. F.. - An phthisis ab
hoemoptoe ?**

1829.

Paris : E typis J. Gratiot

Cote : 90975



Licence ouverte. - Exemplaire numérisé: BIU Santé
(Paris)

Adresse permanente : <http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?90975x1829x02x09>

9

COMPETITIO AD AGGREGATIONEM,

JUSSU REGIS OPTIMI,

ET EX MANDATO SUMMI REGIE UNIVERSITATIS MAGISTRI,

INSTITUTA ANNO M. DCCC. XXIX.

AN PHTHISIS AB HOEMOPTOE ?

THESES,

*Quam, deo favente, in saluberrimâ Facultate medicâ Parisiensi,
præsentibus competitionis judicibus, publicis competitorum disputa-
tionibus, subjiciet et dilucidare conabitur,*

DIE

MENSIS AUGUSTI DCCC. XXIX ;

E. F. DUBOIS, Ambianensis,

DOCTOR MEDICUS.

Τὴν θανατικὴν ἀρίστην ἀν ποιεῖτο προειδῶς τὰ
ἐσομένα ἐκ τῶν παρευντων παθημάτων. Ὑγιὰς μὲν
γὰρ ποιεῖν ἀπαντὰς τοὺς ἀσθενευντας, ἀδύνατον·
τοῦτο γὰρ καὶ τοῦ πρόγινωσκειν τὰ μέλλοντα ἀπο-
εἰσεσθαι, κρεσσὺν ἀν ἦν.

III. Προγνώστικον τμήμα πρῶτον.

PARISIIS,

E TYPIS J. GRATIOT,

Viâ vulgò dictâ du Foin Saint-Jacques, n° 18.

—
1829.



0 1 2 3 4 5 (cm)

CONCERTATIONIS JUDICES.

PRÆSES..... Doct. ESQUIROL.

PROF. CAYOL.

FIZEAU.

ADELON.

JUDICES.....

CHOMEL.

ANDRAL.

LANDRÉ BEAUVAIS.

GAUTHIER DE CLABRY.

VICARI.....

RULLIER.

KERGARDEC.

COMPETITORES.

D. D. MAILLY.

D. D. GUERARD.

DEFERMON.

BERJAUD.

GUIBERT.

SANSON.

LÉGER.

MENIÈRE.

HOURLMANN.

FORGET.

AYNE.

ROYER COLLARD.

BROUSSAIS.

VIDAL.

CHANEL.

GUILLLOT.

DALMAS.

REQUIN.

SANDRAS.


GAIDE.

**ALMÆ
UNIVERSITATI**

PETROPOLIS.

D. V. C.

**HOSPITII MEMOR,
E. F. DUBOIS , Ambianensis.**



MEDICO CANDIDO

PROFESSORI

DUMÉRIL, AMBIANENSI,

OB MULTAS IN SCIENTIIS INVESTIGATIONES

CONSPICUO,

DILECTISSIMO MAGISTRO

PROFESSORI

RECAMIER

OB ARTEM HIPPOCRATICAM EGREGIIS INVENTIS

AUCTAM NOTISSIMO,

D. V. C.

OLIM DISCIPULUS,

E. F. DUBOIS, Ambianensis.

MEDICO CANDIDO

PROFESSORI

DUMERIL, AMBIANENSIS,

OB MULTAS IN SCIENTIIS INVESTIGATIONES

CONSPICUO,

DILECTISSIMO MAGISTRO

PROFESSORI

REGAMIER

OB ARTEM HIPPOCRATICAM EGREGIIS INVENTIS

AUCTAM NOTISSIMO,

D. V. G.

OLIM DISCIPULUS,

E. F. DUBOIS, Ambianensis.

QUÆSTIO:

AN PHTHISIS AB HOEMOPTOE ?

JUDICIBUS ET COMPETITORIBUS.

Eâ in quæstione *Auctoritates* seu varios auctorum sensus, sine studio et irâ, primum exposui. Cum autem opiniones in disceptationem vocare expediret, aptè dein ratiocinari conatus sum; undè *Ratiocinationes*. Quasdam demum observationes, e florentissimis scriptoribus excerptas, quibus argumenta confirmarentur, retuli; undè *Observationes*.

CAPUT PRIMUM.

AUCTORITATES.

Ab Hippocrate initium hujus quæstionis sumendum est, sic à Mœonide decurrere solent poetæ. Constat enim jam inde antiquitùs litterarum scientiarumque monumenta utrosque posuisse. Quamobrem Homerus et Hippocrates, senes divini, æquo ferè gardu', parique gloriâ, sæculorum seriem transière; et hic, medicorum Romulus, ut ait Baglivi, in scriptis ingenium par naturæ osten-

dit ; sed quid est cur explicationum amatores , ne propriæ hypothesen respuarentur , eâ in gravi auctoritate inniti semper voluerunt ? Naturæ interpres , in observatione finibusque phænomenorum sese continet ; rarum est ut in systematibus versetur. Attamen qui phthisin ab hæmoptoe produci voluere , usque ad nauseam conclamant *ἐπι αιματος πτυσῆι, πύου πτυσις* : istos tamen non fallebat necessitudinem causæ non continuò ab *ἐπι* sed sæpius temporum rerumque ordinem contrahi. Ea erat observatio , quæ ingenio Hippocratis non exciderat , persæpè a sputo sanguinis phthisin antecedi , et eam puris sputo demuntiari : *Ἐπι πύου πτυσῆι φθισις καὶ ρυσις • ἐπὴν δὲ τὸ πτυέλων ἰσχύεται , ἀποθνήσκουσι*. Sic eo in loco libri de morbis toties citato : *Τὸ μὲν πρῶτον βήξ ἰσχύει ξηρὴ. Ἐπειτα ὀλίγῳ ὑστερον ἀποπτύει τὸ σιᾶλον υφαιμον • τότε δὲ καταρὼν....* Meliùs de phthisi confirmatâ intelligeretur , præsertim cùm sequitur : *Καὶ σκοτὰν τὸ αἷμα παύσῃται πτύων , σιᾶλον πολλὸν ἀποπτύει υγρὸν , ἐνίοτε δὲ καὶ γλισκρὸν*. Propè omnes hoc loco abusi sunt ; initium enim denuntiat sputum sanguinis casu phthisico accidisse : *Ἦν δὲ τοῦ πνευμονὸς ἀρτηρίη ἐλκώθη , ἢ τι ραγὴ τῶν φλεβίων τῶν λεπτῶν , τῶν κατακρεμασμένων ἐς τὸν πνευμονά...* Sequentibus verbis corroboratur nostra sententia : *Ἡ τῶν συριγγῶν τῶν διὰ τοῦ πνευμονὸς... καταρρηγνύνται*.

In prænotionibus etiam videre est Hippocratem sanguinis sputum non arbitrari causam phthisis , nam *τοῖσιν αἷμα πτυοῖσιν ἀπυρετοῖς εἶναι συμφέρει* , ait , *καὶ βήσσειν καὶ πονεῖν ἐλαφρῶς*. Certè numquam *συμφέρει* dixisset si a sputo sanguinis oriri phthisis deberet. Indè patet *πυρετοῖς αἷμα πτυοῖσιν εἶναι , οὐ συμφέρειν* : nam hi jam phthisici sunt. Sed satis de Hippocrate dictum est.

Galenus in commentariis non tam temperatus est ; tamen in tuberculis causam phthisis sæpè invenit et fatetur : non omne sanguinis sputum sequentem habere puris expuitionem sed tantum illud quod mali moris est.

Descriptionem phthisicorum ab *Aræteo* magis nota est acceptaque quam de causis ejus opinio ; dicendum est tamen *Aræ-*

team picturam ad phthisicòs hæmoptoicòs pertinere, id est, ad hos quorum insignis est emaciatio. Cœterum habitum corporis phthisi quasi devotum noverat, non enim solùm *phthision* sed etiam *phthisidea* descripsit.

Aetius fatetur a sputo sanguinis phthisin oriri, at de pneumonia etiamque de pleuritide dixit eadem.

Nemo nescit præfectum romanum, narrante *Plinio*, usque ad nonagesimum annum vixisse hæmoptoicum.

Non immeritò hæmoptisin periculosam existimabat *Alexander Trallensis*, sed solà vacuatione immoderatà; nam ipsa, ait, quidem sanguinis excreatio *per se* dummodò non immoderatam vacuationem inducit, vitam non adimere consuevit.

Etiamsi *Boerrhaavio* persuasum esset aliquas phthises a frequentibus phlebotomiis depulsas fuisse, nihilominus *Van Swieten* phthisin in peculiari constitutione causam habere existimabat, tales ergo curationes ei suspiciendæ erant. At aliquas ab apoplexiâ pulmonariâ etiam admisit « Si jam contingeret, ait, « ruptis vasculis, sanguinem effundi in cellulosa membranâ, cruor « extravasatus, corruptus morâ et acrior redditus suppurationem « et ulcus pulmonare producere poterit. »

Eâ demum in sententiâ *Sellum* invenimus qui in *pyretologiâ* pituitosam constitutionem ponit.

Omnes hypotheses opinionisque continere videtur *Boneti* vastum *sepulchretum*, collectanea indigesta, quibus tamen aliquandò notabilia reperiuntur: sic dicitur in phthisi plerumque sanguinem ex ulceribus tuberculis erumpere. Videre est, ut dictum est in « *Comment. Argentarii*, uxorem *Leonardi*, *Pisiensis* medici, « duos ferè annos phthisicam vixisse; eâ dissectâ, inventum in « supremâ parte pulmonis quæ primis costis subjicitur, ulcus « in quo vix castanea includi potuisset, hæc nunquam sanguinem exspuit quòd extrâ vasa pulmonis ulcus consisteret »

Mortonum habere debemus quasi principem medicorum qui phthises ab hæmoptoe admittunt. Is enim in suâ *phthisiologiâ*, falsò Hippocratis auctoritate innixus sic phthises divisit. Attamen non idèò concludendum esset *Mortonum* frequentes habuisse phthises ab hæmoptoe. Videre est, in loco citato a Morgagni, ei strumosos præcipuè proclives visos esse; et mirum non est, inquit, « si scrophulosi qui tumoribus glandulosis in aliis partibus » frequenter obnoxii sunt, non rarò etiam ejus modi tuberculis « vel in ipsis pulmonibus afficiantur ». Cæterùm in arbitrariis divisionibus sibi placere videbatur, sunt enim apud phthisiologiam, phthisis incipiens, phthisis confirmata, phthisis ab hæmoptoe, à peripneumoniâ, etc.

Quis in hæmoptyses biliosas de quibus loquitur *Stoll* introspicere phthisium causam auderet, cùm præsertim hic medicus emetico eas depulerit?

Sthal, *Fornel* et *Sydenhamus* sanè sanguinis sputum inter symptomata phthisis adnotaverunt, sed plethoram universam vel peculiarem causam dedere.

Horum therapeia a *Frederico Hoffmanno* admittitur, sed in falsâ theoricæ medicæ « si differtur hæc medicatio, inquit, neque adhibentur remedia sanguinem in pulmones effusum dissolventia, et dirupta vasa consolidantia, purulenta gignitur materia, ipsaque phthisis.

Quamvis periculosam hæmoptysin sentiat esse *Leindenfrost Druisburgensis* principium tamen quoddam malignum supponit ex quo phthisis gignatur; et legere est apud dissertationem de illâ hæmoptysi quam phthisis sequi solet, pulmonem tensivis doloribus affectum hæmoptysis periculosæ dare signa; et illud sanè profectò, pulmonum enim ad apicem jam existere tubercula verisimile est.

Bordeu et *Robertus* hæmorrhagias contrà, cùm morbum judicarent, conducere existimabant. Hæmoptysin judicaturam quos-

dam morbos concedo , at nunquam meram phthisin , id est tuberculosam , sic depelli mihi persuasum erit.

Vix commemorandus est *Schæderus* adeò rectas exuit opiniones , in dissertatione de hæmoptysi in genere et speciètim ejus nexu cum variâ adversâ ex hypochondriis valetudine.

Homines tanti judicii , tamque egregios naturæ contemplatores , *Valsalva* ejusque discipulum *Morgagni* eâ in re suetum lumen non attulisse desiderio est. Nihilominus tamen plures invenimus observationes apud hunc. Longè enim abest , quin opinionem omnes apud æquales pervagatam tenuerit , nullum scilicet phthisicum , quin prius hæmoptoicum , mori. Hic insignis medicus causam exiguitatis libri de phthisi sublimi quâdam ingenuitate fatetur :

« *Valsalva* , ait *Morgagni* , posteaquam juvenis in phthisis periculum venit , ut in ejus scriptum est vita , cadavera istius
« modi morbis absumptorum minùs , opinor , quæsivit. Ego verò ,
« ut me tibi aperiâ , illa fugi de industriâ adolescens , et fugio
« vel senex , tunc ut mihi , nunc ut studiosæ , quæ me circumdat ,
« juventuti prospiciam , cautiùs fortassè quàm opus sit , sed
« tutiùs. »

Mortoni Cullen opinionem tenuisse videtur.

Nunc ad *Baumes* perveniamus , qui nuper multâ auctoritate pollebat , saltem anteaquam et *Bayle* et *Laennec* in lucem scripta edidissent. *Baumes* simul ac chronicis à catarrhis phthisim concitari posse supponit etiam ab hæmoptysi frequenter adduci arbitratur. Sed mirum est , quàm cautim ab illâ hæmoptysi phthisim concitari denuntiet. Vult enim cutem simul et infusari , membranam scleroticam sub-cæruleo tingi colore , pectus malè constitui , tussiculam detinere , tandem , ut videre est , ægrum vult phthisi jam fère confirmatâ laborantem : indè ab homine , ut pote magni judicii , in levi istam causam habitam fuisse comprobatur. Quod verò attinet ad argumenta eâ de re , turbæ medicorum

opinione nititur. Nam ea paulò antè universaliter quasi dogma habebatur, ità ut, inquit, diù apud scholas agitatum fuerit, num quis, ni prius hæmoptoïcus, unquam phthisicus esse valeret. Cum phthisin et hæmoptysin arctissimè conjungi putaret, connectionem enucleare, vitiosè tamen, aggressus est. Malè constituti pectoris incrementum, inquit, angustias quasdam affert, et irritationem levem primùm, sed paulò post ad eò crescentem, ut gravis inflammationis læsiones producat. Adjecit eam esse causam cur hæmoptysis semper in primis phthisis pulmonariæ symptomatibus appareat. Sic, quidquid agatur de enodatione proposita, hæmoptysin inter symptomata phthisis Baumes collocat.

Bayle apparuit, et florentissimas de causâ phthisium opiniones funditus evertere conatus est. Dein qui fuerunt de disciplinâ ejus, nunquam ab hæmoptoe phthisin oriri sustinere. Plerique eorum præceperunt ut eâ in re corporibus dissectis opera daretur. Disserendi sanè egregium genus, præsertim cum his de rebus agatur. Fortassè tamen paulò longiùs proveci sunt, ut paucis expediam secundo in capite seu in ratiocinationibus.

Cur historias hæmoptysis imperfectas plerumque apud auctores inveniamus, exquisitâ ratione patefecit *Pinel*. Facta non desunt, inquit, sed ferè semper in historiis phthisium submersa sunt; non quidem mirum, ad eò omnes in sputo sanguinis προδρομος phthisis videre cupiunt.

In sententiam doctoris Bayle descendit *Laennec* et præter prædestinationem, inter causas phthisis nullam novit vehementiorem certioreque, quàm mæstas animi affectiones. Quod ad hæmoptysin attinet, multùm abest quin eam inter causas admittat; nullius facti certa fides est, ait, quo arguere fas sit ab hæmoptoe unquàm concitari tubercula. Si id esset, pergit, interclusionem hæmoptoïcam paulatim gradatimque in milliaria tubercula sese convertentem videres, et id nunquàm inveni.

Maximi momenti sunt observationes professoris *Andral*, ex eis autem sequentes clausulas rectè collegit :

A. Multi copiosè sanguinem exspuere, et tamen numquam idè phthisici facti sunt.

B. Quosdam apud alios primum sanguinis sputum animadvertitur multis annis antequam symptomata phthisis adnotarentur.

C. Nonnunquam omnia tuberculorum indicia primum hæmoptysin sequuntur.

D. Frequenter accidit, ut jam maturis tuberculis, et phthisi omninò confirmatâ, sputum sanguinis appareat.

E. Non rarum est denique ut ad ultimum phthisis gradum perveniat, emoriaturque ægrotus, viso nunquam sanguinis sputo.

Adnumerandam inter prodromos phthisis hæmoptysin concedit professor *Recamier* sed in eâ causam non agnoscit. Complures enim hæmoptoïcos diutissimè viventes sæpè vidit.

CAPUT SECUNDUM.

RATIOCINATIONES.

Cum jam adversarii nostri sic ab auctoritatibus propè destituti sint, vel cum saltem perspicere sit illas quanti faciamus; cognoscenda sunt fundamenta quibus disseruerunt innixi; undè eorum ratiocinationes, an hæ consecutiæ, id est, num assumptibus rectè deductæ fuerint.

En igitur quibus innitantur fundamentis: sputo sanguinis aiunt semper phthisin antecedi, ergò phthisin ab hæmoptoe esse. Falsum est primò sputo sanguinis *semper* phthisin antecedi, et id in tertio capite; id est, in nostro sepulchreto, factis confirmabimus. Et conclamant dein, firmo hiatu, phthisin ab hæmoptoe esse, cum hæc præcedat: nonne in hoc tritum *post hoc ergò propter hoc* dilabuntur? ut ait *Laënnec*.

Ignotæ maneant causæ, absurdum est eas quærere in vicibus rerum. Sed quinimò scripserunt sputum sanguinis in omni phthisi semper adesse; his à me responsum erit et non *semper* sanguinem tunc sputari, factaque brevi loquentur. Prætereaque quid aliud est causam monstrare in rerum eodem temporis puncto existentia, nisi recurrere ad hoc aliud tritum *cum hoc ergò propter hoc*? Hæc adversariis qui argumenta investigationibus in cadavera non firmarunt dictum sit.

Sic insulas esse istas ratiocinationes demonstrando Bayle homines à Mortono refellit. Hæc igitur quasi principia posuit Bayle.

A. Sæpius qui ne phthisicus quidem suspicatus erat, repentinâ morte obit et jam tuberculis pulmo infartus est.

B. Plures qui hæmoptoibus plus minusve periculosis tentati fuerant nulla vestigia tuberculorum neque ulcerationum habent, seu hæmoptoe, seu alio morbo absumpti puerierint.

C. Multi qui phthoe laborant, tantum in secundo vel tertio hujus morbi gradu, a primis appulsibus hæmoptysis afficiuntur: undè

videre est hæmoptysin a phthoe concitari, non verò phthisin ab hæmoptoe. Tamen paulò longius provector est Bayle, et id professor Andral indicavit; sed forsàn et hic professor in alium errorem lapsus est, cum nimium inficias ire ei in animo esset, illud modò perspiciemus. Dixerat Bayle *omnem* hæmoptysin supervientem apud hominem daturum posterius tuberculorum signa, iisdem tuberculis concitari, sed ea nunquam ab hæmoptoe procreari.

Vera cum falsis in ea mixta sunt propositione, nam verum est tubercula non effici ab hæmoptoe, falsum verò omnem hæmoptysin apud hominem daturum posterius tuberculorum signa supervientem, ab iisdem tuberculis concitari.

Professorem Andral pars falsa non fefellit, ut diximus. Demonstravit enim tubercula ab hæmoptoe præcedi posse, sed cum hæmoptysin præesse tuberculis probaverit, nescio quo pacto dixerit inde: ergò hæmoptyses quarumdam phthisium et causa et origo sunt.

Sed in quo statu pathologico hic professor phthisibus pulmonariis aliquoties hæmoptysin causam admiserit, perpendamus.

Si ponatur, inquit, interdum sanguineas congestiones in variis pulmonum locis spargi, ita ut apoplexiam pulmonariam doctoris Laennec constituent, tubercula tunc reperta fuere in medio quarundam istarum congestionum, dum neque in cæteris neque in earum intervallis inveniebantur; nonne inde, isto in casu, tubercula successisse apoplexiæ pulmonariæ, illam verò non antecessisse concludendum erit?

Insignis ea est observatio et inde consecrarium est aliquoties hæmoptysin tuberculis præesse. Sed si fas sit hæc cum illo concludere, non ideo concludendum quasdam phthises esse ab hæmoptoe. Idem est de *granulationibus* pulmonariis in quibus procreari queunt tubercula, sed a quibus non necesse est ea antecedi. In eâ sententiâ hæsimus et commoravimus quod de magni momenti auctoritate ageretur et nostrâ interesset adversarios eâ inniti non posse.

Ut apertissimè et planissimè evadat quam parum verisimiles sint

adversarioum rationes, investigationi fontium hæmoptysis idiopathicæ et symptomaticæ adhibenda primum erit attentio, dein quasnam hypotheses auctores in medium protulère ad explanandam tuberculorum procreationem pertentendum erit.

Hæmoptysis idiopathicæ et apud integros pulmones supervientis qui sunt fontes? Vel mucosâ membranâ bronchiarum, vel parenchymate pulmonario sanguis exhalatur (*Chomel*). Sputo foras exit et tunc, ut ait professor *Chomel*, solâ expuitione emitti potest, fitque hæmoptysis sinè tussi. Exemplum ejusmodi apud scholia Boneti reperitur. Mirum, inquit annotator, attamen reverà dari interdum talia observare, novum non est illis qui praxin solitè exercent: anno 1669, fœmina 54 ann. hæmoptysin patiebatur æthoræ exercens sanguinem spumoso et florido sine dolore, cum respiratione aliquando difficili, sed quod singulare, semper absque tussi.

Si verò a mucosâ membranâ sanguis effusus sit, plerumque nulla in ea invenitur læsio et interdum quidem, secundum professorem *Andral*, adhuc pallida manet.

Præter eam nulla recta divisio; si enim admitteretur sicut a *Stoll* hæmoptysis a bile, tunc rursus obscuritate et caligine causarum operiretur hic morbus et in vitium *Mortoni* laberemur.

Nunc si ponamus jam altè pulmones incremento et fusurâ tuberculorum excavatos esse; qui fontes etiam erunt hæmoptysis?

Tertius erit adnumerandus: id est præter membranam mucosam et parenchyma pulmonarium, etiam cavernulæ tuberculosæ sanguinem effundere poterunt, et tunc insuper duplex fons erit; modo enim cavernulæ parietibus exhalabitur sanguis, modo rupto vase sese effundet.

Cùm sic, ut ita dicam, in visceribus rei versemur, inquiramus an indicia vel verisimilitudines causæ, de quâ ambigitur, inveniemus. Sanguinem, ut diximus, exhalat membrana mucosa, inest ne in eo quid ad tuberculorum procreationem spectat?

Quo modo percipere queant tubercula nascitura ab exhalatione sanguineâ, etiamsi vel decies vel centies exhalaretur sanguis ?

Quodcumque vitale molimen admittant, ut pateat quo pacto sanguis suetis e vasibus exeat, nullam analogiam præ se fert illud cum tuberculorum secretionem.

Si causam phthisis hæmoptoe depromere velint etiam in hæmoptoe fortuita et quasi externa ab eis admittenda foret : at hercle ! Non admittunt ut ab ista hæmoptoe phthisis concitetur. Vult in eodem temporis puncto *Baumes*, ut primo in capite dictum est, corripere ægrotos jam febriculâ, frequente tussi, in pectore doloribus, id est, merâ phthisi.

Concedamus nunc sanguinem subito in parenchymate pulmonario emitti, ita ut, secundum verba *Laënnec*, apoplexia pulmonaria constituatur ; quid adveniet ? Si non vehementius abundat sanguis, die procedente, paulatim exorbebitur et ægrotus e morbo evadet, sin contrariò extra modum perrumpit, de vitâ res erit ; sed quem cunque fors tulerit casum, ne suspicari quidem etiam nunc causa tuberculorum potest.

Monuit enim *Laënnec*, in pulmonibus apoplexiâ perculsis frustra queri aliquam concitationem vitalem ad tubercula disseminanda idoneam. Si fides huic auctori habeatur, nullam propensionem inflammatoriam habent sinus apoplectici, nunquam pus movent.

Si denique emittatur sanguis cavernulâ tuberculosâ, seu parietibus, seu rupto vase, multum abest ut tubercula adducat, ipse potius tuberculorum adduceretur extensione ; et sic hæmoptysis esset a phthoe.

Non abs re erit inventas ad causas tuberculorum hypotheses percurrere. Sic enim videbimus an aliquæ sint congruentes hæmoptysi sive anteriori sive in ipso temporis articulo advenienti. Primo aspectu, in facili est animo complecti semper auctores sputum sanguinis pro nihilo in rationibus habuisse. Itaque quantacunque sit apud nos prurigo has in disceptationem hypotheses revocandi ; alie-

num videtur, quippè cùm intra fines quæstionis præstitutos, unicus sit evellendus error ; nempè phthisis ab hæmoptoe.

Quidam fautores doctrinæ physiologicæ dictæ, soliti jurare in verba magistri, instar Mortoni qui phthisin a peripneumoniâ admittebat, jactitant tubercula irritationibus et precipuè irritationibus chronicis effici, præsertim apud homines quorum series organorum lymphaticorum, prævalet. Qui sunt e scholâ Bayle et Laënnec, inflammationem ad id in aliquo adjumento esse negant. Alii eclecticici, stantes in medio, quasi librati contrariis, inflammationes terminis angustis circumscriptas fortè secretioni tuberculorum idoneas esse putant.

Novissimi quidam medici scilicet *humorales* dicti in sanguine semina tuberculorum existere et in pulmones deponi profectò contendunt.

Ea est nostra opinio hæreditate præsertim ad hunc morbum contrahendum proclivitatem venire, quoniam plerumque hæreditate et organorum compositio veniat. Hoc in loco iteramus quod dicunt medici e scholâ physiologicâ, in eâ enim doctrinâ, velut in fimo Ennii, aurum aliquandò reperire est.

Ferè omnes phthisici a parentibus organorum acceperunt compositionem adeò vitiatam ut minimis de causis in phthisin inciderint ; nam apud eos pulmonaria organa fiunt quasi vis vitalis fomes, præsertim eâ in ætate, quâ ad pectus tendere cuncta videntur. (*Roche, Sanson.*)

Antiquos observatores id non fugit. Ab eis videmus homines dici *φθινοντες και φθισικους* quorum valetudo penes est phthisin ; at *φθινωδεις* etiam quorum natura vergit *επι το φθινωδες* : hujus modi sunt *περιγωδες*, alati scapulis, quorum scapulæ dorso exactè non adjacent, quia non habent dorsum ut decet *θυκυφον*, sed paulum inclinans *θυλωρδες*, et contra cervicem ad *θυκυφον*, quam tamen natura voluit esse *θυλωρδη*. Non mirum hercle ! si istius modi hæmoptoïci tam sæpe in phthisi incidere videantur, cum a tineris quasi devoti essent.

CAPUT TERTIUM.

OBSERVATIONES.

Hæmoptysis simplex ex Fred. Hoff. excerpta.

Plethoricus vir quadragenarius, corpore spongiosus, ingenio fecundo, et amæno, lautè vivens, omissâ primum sanguinis missione, vernali semper et autumnali tempore expertus est hæmorrhoidalis fluxûs indicia ac cum fæcibus quippiam sanguinis excrevit. Hinc ad minuendam plethoram vere et autumnno venam incidere passus est cum euphorîâ, sed cum æquinocio vernali omisisset fortè suetam sanguinis missionem, post vehementiorem corporis motum et liberaliorem vini rhenani potum, incurrit hæmoptysin et cum tussi aliquoties sanguinem spumosum et floridum rejecit. Admisit igitur sanguinis è tali venâ subtractionem largam, ac pulverem præcipitantem nitrosum cum lignore anodyno minerali, sumpsit, quibus sanguinis expuitio constitit ac ita convaluit ut nec ampliùs hæmoptysis redierit, neque etiam quidquam incommodi reliquerit. (Hoffm. de sanguinis fluxu ex pulmonibus.)

Epicrisis. De homine hic agitur plethorico apud quem sese hæmoptysis evoluit fortuita, simplex et, ut ita dicam, supplendi alii fluxûs causâ adnata; etiamsi decies rediisset morbus, nunquam in discrimine phthisis is homo existimatus ab omnibus fuisset et reverà non adduci potuisset, nam in eo nulla phthisis causa latebat, de merâ agebatur hæmoptoe; non erat, uno verbo, φθινωδης.

Hæmoptyses sæpiùs iteratæ apud juvenem, integrâ tamen valetudine. (Ex prof. Andral.)

Juvenis quidam duodeviginti annos natus, à duodecimo hæ-

moptysi primùm tentatus fuerat : per quinque annos insequentes integrâ sese habuerat valetudine, nullisque catarrhis pulmonariis fuerat obnoxius. Anno post, natus septem decimo, iterùm non parùm sanguinis expuerat, et sex mensibus post tertiâ correptus fuerat hæmoptysi, incolumis tamen evaserat.

Duodeviginti verò natus annos quartùm sanguinem expuit. Tunc nosocomium dictum *la Charité* ingressus est. Juvenis ille firmâ corporis constitutione præditus videbatur non tenui habitu, non gracilibus erat musculis, vix tussi laborabat et nullâ de thoracis anxietate querebatur. Duas inter novissimas hæmoptyses nullis pulmonariis catarrhis affectus fuerat. Illi fas erat progredi, ascendere et currere, nec tamen spiritum trahere. Percussum pectus rectè resonabat. Vix rhoncus bronchialis interdum soni respirationis æqualitatem rumpebat (quòd sanè fiebat ex aëre in bronchiis cum sanguine mixto). Cæterùm non tam resonans erat quam esse solet cum quid obstat ne sanguis aut aër per pulmones libere transgrediantur. Circulatio, cæteræque functiones rectè sese habebant. Juvenem, ut videre est, sanè valentem pinximus, reverà unum tantùm ex morbidis phœnomenis apud illum invenimus, scilicet cujusdam copię sanguinis puri, subnigri et ad superficiem spumantis exspuitionem. Ipse fatebatur sese ægrum nunquàm putasse ni sanguinem in sputis vidisset. Largè de brachio missus est sanguis, et ad pectus appositum vesicatorium. Paulatim diebus posteris desiit hæmoptysis, et mox ad sanitatem æger redditus est.

Epicrisis. Difficulter, ait professor Andral, nobis persuaderetur apud hunc hominem tubercula pulmonaria extitisse, nec cernimus cur, isto in casu, hæmoptysim idiopathicam membranæ mucosæ bronchiarum admittere non vellent.

Tuberculosa phthisis incipiens cum nullis hæmoptysis vestigiis.
(ex Morgagni).

Puer annos tredecim natus, perspicaciori ingenio præditus, cujus soror fraterque in phthisi interierant, cum ipse anno superiore pulmonis sinistri inflammatione laborasset, corripitur dolore capitis supra oculos, at horum etiam dolore, circa quos viscida effluebat materia. Postridiè delirat, oculos in adstantes defigit, non nihil viscida evomit. Deinde ex improvise convulsionibus prehenditur : à quibus in affectionem quasi soporosam incidit; sæpius tamen convulsione, cum difficili respiratione conjunctâ, incitatur, deindè moritur.

Ventre aperto, sana omnia inveniuntur, quanquàm in ventriculo erat humor quidam æruginosus, vesica autem lotio, et cystis fellea bile turgabant. In thorace dexter pulmo à pleurâ quidem solutus erat; sed in superiore parte, claviculam versùs continebat tuberculum, nucem juglandem æquans in quo parva erat cava, materiæ plena, quæ colore et mollitie substantiam cerebri medullarem referebat : atque hinc fortasse si diutius puer vixisset, initium morbi qui sororem fratremque interemerat extitisset. Pulmo autem sinister qui inflammationem, ut dixi, ante annum passus fuerat, cum pleurâ ad dorsum connectebatur.

Epicrisis. Ea observatio videtur collecta velut ad mendacii arguendos, et hos qui in scholis ut dogma admiserunt hæmoptysin præcursores phthisis, et hos qui instar *Mortoni* phthisin a peripneumoniâ voluerunt. Nullum reverà sanguinis sputum tuberculum nunciaverat, et præcisè unicèque sanum pulmonem istud tuberculum invadens, inflammatum reliquerat.

Sanguinis et puris sputum sinè pulmonum offensà aliquando contingit. (Ex Sepulchreto excepta.)

Exspuunt non semel statis temporibus quidam cum pure sanguinem, nec tamen phthisici sunt, nec ulcus ullum in pulmonibus habent : hujus sensus tres novit Sala quorum duo expuerunt statis vicibus pus et sanguinem sine pulmonis ulcere, quippe sanati sunt et benè valuerunt ; tertius adhuc vivit sanus. Pulmones fuerunt sinè lesione, quod in cadaveribus duorum dissectis apparuit.

Epicrisis. Sæpè a secretionibus mucosis in errorem inducti fuerunt medici, et jam pus expui timebant, factâ secretionis alteratione. Sic eâ in observatione bronchialis mucus sanè sanguini mixtus erat, quam ob rem ægroti mero sanguinis sputo correpti fuerant.

Hæmoptysis simplex.

Vir annos natus ad quinquaginta, lanam quotidie agitans, ad culcitas conficiendas, queri cœpit de difficili respiratione, quæ cum sibilo fiebat. Præcordiorum aliquandò et respirationis angustiiis corripiebatur, quas vehemens ad lumbos dolor interdum excipiebat.

Arteriæ in collo valdè pulsabant, ad hæc nonnullis ante mortem diebus accedente sanguinis sputo, cum gravi atque turbato respirationis motu vivendi finem fecit.

In thoracis utroque cavo serum ; diluti sanguinis colore, stagnabat pars inferior sinistri pulmonis, dextri autem lobus unus, ab effuso intrâ eorum substantiam sanguine nigrescebant (XVII. 23. Morgagn.).

Hæmoptysis sine vestigiis tuberculorum apud hominem judicatum phthisicum.

Sacerdos veronensis qui olim Venetiis phthisicus judicatus fuerat, Patavii autem decem annos hemicraniâ laboraverat, nunc anno exacto quadragesimo tertio, canutus, facie interdum nimis rubicunda, gracili corporis habitu, nec tamen macilento, etsi alacer ad actiones, lætusque videbatur, gravibus quas dissimulabat, curis vir alioquin ad iram pronus, valde anxius erat. Queri autem solebat de quibusdam intrâ thoracem doloribus, quorum sedem manu sterno impositâ designabat. Queri pridè se non bene habere chirurgo dixerat, ideoque remediis uti quàm primùm velle. Cœnatus tamen cum hospitibus hilariter, et somno insequenti manè in lecto mortuus inventus est. In pulmonibus, exceptâ sanguinis copiâ nihil fuit quod adnotaremus. (*Morgagn.*)

Hæmoptysis adducta excavationibus tuberculosis seu hæmoptysis à phthoe.

Cum tussi sanguinem excerni, modò pulchè rubentem, aliàs pituitæ, puri aut sputo permixtum haud infreqnens : nigrum verò atque spumosum ejici, ut concretus et undequoque porosus spongiam aut pumicem referre videatur rarissimum. Hujus modi autem a nonnullis cum tussi rejectum, non ex vase aliquo rupto, huc ex pulmonis ulcere, sed ab ipsâ pulmonis substantiâ ac parenchymate profusum suspicati fuimus, nec fefellit nos conjectura. Nam pictoris cujusdam, qui cum validâ tussi hujus modi sanguinem rejecerat, pulmonis pars quædam nigricans reperta sphacelo corrupta, in quâ magnus et profundus sinus, nullâ interim sanie, nullo pure vel hanc vel reliquam partem occupante : atque ex hoc sinu sanguis corruptus, nigricans, rejectus. Cererisiæ coctor

ejus modi sanguinem cum validâ tussi ter reddidit : in hujus autem pulmone, plurima parte nigro tres patuerunt *sinus*. Semper autem talem affectum incnabilem judicavimus. (Sepulch. de sputo sanguines).

Hæmoptysis similiter facta per sinus tuberculosos.

Mulier juvenis, nosocomium dictum *la Charité*, mense martio ingressa est, cum jam cuncta phthisis pulmonariæ ingravescentis symptomata exhiberet; nil tamen mortem proximam portendebat, cum subito expuit sanguinem tam copiosè tamque vehementi contentione ut quasi vomere videretur. Mora non fuit quin asphyxiâ periret; in utroque pulmone inventa est ingens caverna crassis sanguinis concretionibus repleta. Bronchias verò et asperam arteriam spumôsus sanguis adimplebat. (*Andral.*)

ERGO

ET EX AUCTORITATIBUS ET E RATIOCINATIONIBUS ET EX OBSERVATIONIBUS EGO NON *PHTHISIN AB HÆMOPTOE* DICI POSSE CENSEO.

FINIS.